



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Thesavrvs Casvum Conscientiæ**

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

**Sayer, Gregory**

**Venetiis, 1627**

10 Cacabi, & alia vasa aenea, uel ferrea an inter arma Turcis deferri prohibita censeantur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13903**

DECISIO III.

Ex cons. 4. alias 18. de vsuris.

**N**on solum Papa, sed etiam alius quicumque Princeps secularis, siue Imperator siue Rex sit, aut alius qui superiorum non recognoscit, iusta de causa poterit sine peccato, auctoritate sua in terris suis permittere, etiam sine ecclesiastica auctoritate vsurarium exercitum Iudeis, factis honestis capitulis cum eis, & non accipiendo lucrum sibi de illo extortitio; Ita Nau. in Manu. cap. 17. nu. 193. Quamuis melius faceret, qui id non nisi summo Pontifice consulto, cum capitulis ab eo approbatis permitteret. Potest etiam Christianos ad pacta, & conuentus inter Principem, & Iudeos obseruanda compellere, & consequenter ad soluendas vsuras promissas; Iudeis, & permissas. Princeps vero, qui superiorum recognoscit, nihil horum iuste permittere potest, sine auctoritate Papæ, vel illius Superioris, in cuius territorio viuunt.

DECISIO IV.

Ex cons. 4. alias 34. de vsuris.

**L**icentia vsuras excedendi in terris ecclesie a Papa concessa, extra terras ecclesie in temporalibus non subiectas, non se extendit; præsertim cum Priuilegiis, quæ in præiudicium aliorum Principum temporalium redundat, Testringenda sit. cap. Post. de priuilegiis. Ad verum autem interest, tam lucris cessantibus, quam damni emergentis seruatis seruandis sine aliqua speciali permissione Principis spiritualis, & temporalis iure communi, tam Iudeo, quam Christiano cuiquam mutuari licet. ex Nau. in Manu. cap. 17. nu. 211.

DECISIO V.

Ex cons. 5. in antiq. est. 35. de vsuris in Nouis.

**S**icut rectè nonnunquam permittitur aliquod malum, hoc est, non punitur, vt aliud peius impediatur, vnde & lupanaria in multis locis permittuntur, ne casta matrimonia sollicitentur, & vicia peiora impediatur. ex S. Th. 2. 2. q. 10. artic. 1. ita etiam a Papa in vrbibus, & Auinionis, & alibi ab alijs Principibus vsurarium exercitum Iudeis permissum est ad mala maiora vitiumque euadenda; id quod absque peccato fieri potest non participando in lucro, secus tamen si in illo participarent. ex Nau. in Manu. cap. 17. num. 195.

DECISIO VI.

Ex cons. 3. in Nouis est. conf. 3. de clandest. despon. in antiq. dub. 6. 7. & 8. sed quia huic titulo magis conuenit, hic apponere visum est.

**A**rmorum delatio vbi non est prohibita, cum multo viore, sed solum sub aliqua parua pena temporalis, non est mortalis, nisi inde aliquid scandalum notabile Reipublice, vel deferrentur in finem mortificatum, cum mortalibus obedientia, vel scandalo, vel ad bella iniusta, præsertim pro infidelibus contra Christianos; in quibus casibus sic deferentes, nihil abintineant, absolui non possunt.

DECISIO VII.

**A**rma fabricare possunt Christiani in terris Turcarum viuentes, illaque eis vendere, modo, eas ad bella iniusta non fabricent, nec tacite aut virtualiter sciant, aut credant illos, quibus vendunt, eas ad iniusta bella præsertim contra Christianos vsuros; quia hoc esset cooperari ad malum, quod nunquam licitum esse potest.

DECISIO VIII.

Ex cons. 4. in Nouis, est. conf. 3. de clandest. despon. dub. 7. in antiquis.

**T**urcarum in regione habitans subditus Christianus, Turcis equos & arma iuste vendere potest, dummodo ea intentione non vendat, vt ijs in bellis iniustis vtantur; Negatur legibus prohibentibus quedam ad Tur-

cas deferri, e. ita quorundam. de Iudeis. quæ solum contra illos editæ sunt, qui cum non sint infidelibus subditis, Turcis tamen ea vendunt, & deferunt. Potestque sic Turcis subditus, bellis quæ Turca alijs infidelibus iuste indicit, interesse & acquirere secundum ius commune, cap. nus. genium. d. 1. si ipsi eo vtantur, dominium rerum, & personarum, quas in bello capiunt, vel a captiuis pretium redemptionis exigere, & prædam captam tueri etiam infideles aduersarios occidendo.

DECISIO IX.

**M**ilitiæ nomen dare apud Turcas Christianis ibidem commorantibus licet, dummodo non se obligent, nec intendant in bello iniusto bellare; Nam si talem obligationem facerent, grauius peccarent, nec promissionem pro hac parte seruare tenentur. Arg. cap. Militare. 2. q. 1. & cap. Julian. 1. q. 3. proponentesque obligationem hanc prædicta parte non seruare, absolui possunt.

DECISIO X.

Ex cons. 6. in Nouis deest in antiquis.

**C**acabi, & alia vasa ænea, vel ferrea ad vsum coquinæ principaliter fabricata, quamuis proprie arma bellica non sint, quia tamen ex eis arma bellica confici possunt, & solent, ideo mercatores, & alij hæc ad satracenos dolo malo, seu fraude deferentes, aut eis hæc vendentes, in Bullam Cæneæ, & alias iuris excommunicationes incidunt; secus vero si bona fide, sine fraude & dolo, aut mala intentione vasa prædicta eidem ad vsus alios quam bellicos vendant.

TITVLVS VI.

De Hæreticis.

S Y M M A R I V M.

- 1 Inquisitor hæresis super incastu iure communi cognoscere nequit.
- 2 Renunciatio beneficij ante priuationem facta est valida, se eius si solum ante declarationem.
- 3 Libros damnatos sine licentia tenens, & legens, Bulla Cæneæ excommunicatur.
- 4 Sepeliens scienter hæreticum excommunicationem non reseruatam incurrit.
- 5 Abiuratio de vehementi est quadam purgatio Canonica.
- 6 Iudæi, & Pagani, in quibus ecclesie subiecti sunt.
- 7 Confessio & absolutio excommunicati, se talem ignorantis, valent.
- 8 Denunciare non tenetur quis, quem hæreticum dubitat, sed probare nequit.
- 9 Prælati Regulares in subditos de crimine hæresis procedere non possunt.
- 10 Hæretici fautor censetur iudex, qui illum aufugere permittit.
- 11 Bona hæreticorum nisi prius declarentur, apprehendi nequeunt.
- 12 Testis ad penam ignis se obligans non est ea puniendus.
- 13 Hæreticos notorios non denunciatos vitare non tenemur.
- 14 Iudici interroganti cum iuramento an sacrum fecerit, vel eidem interfuert, an catholico negare licet.
- 15 Catholicus an, & quomodo in terris hæreticorum habitare potest.
- 16 Hæreticorum sumus ducere, ubi, & quando liceat catholico.
- 17 Catholici superiori infideli indifferentia iubenti iuste parent.
- 18 Laicus de fide disputans, excommunicandus, si scit non licere.